Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1949
Quelle:
Copyright:

pluribus et ambasiatoribus Bohemie Morauie &c. pronunciata per Magistrum Jodocum de hailprunn. Ad mensem *Novembrem* a. 1452. pertinet, quo concordia inter *Fridericum* Imp. *Ladislaum Hung.* et *Boh.* Regem, et Provincias tractabatur. Nihil Historiae adtingit Orator, e verbis *Ps.* 71. *Suscipiant montes pacem populo et colles justitiam*, Montibus, id est, Principibus, et Collibus, id est, Magistratibus Bona Pacis ostendere contentus. Adscribo tamen, quae in laudem *Hungariae: Commendatur hoc potentissimum Regnum ex dignitate et nobilitate et strenuitate principum et comitum et ceterorum satraparum, qui necessitate ingruente strenuissime militant in acie dominici belli contra infideles turcos. Vnde ipsum regnum est tanquam clipeus ad defendendas metas christianitatis contra infidelium incursus.* Reliqua Codicis, ut dixi, Academica occupant, quae inter memoro primam Nostri Prolusionem magistralem, quae *fol.* 194. longa Personarum, quibus gratias agit, enumeratione terminatur. Inter alias est *Strenuus et prudens vir D. Conradus Holtzler* (non Holzer) *magister Civium huius opidi nec non miliciali cingulo decoratus*, qui motam contra *Albertum* Archid. seditionem a. 1463. capite luit, et *Jodoci* Parentes *Conradus Wyler de Winsperg et Elizabeth Kauffmenyn de hailpruna. Fol.* 369. habetur prolixa Dissertatio, quae init: *Utrum quilibet sacerdos noue legis teneatur verbum dei fidelibus predicare. Nota quod in concilio Basileen. per Vlricum de Znoyma sic proponebatur articulus de predicatione verbi dei. Verbum dei exemplo christi et apostolorum a sacerdotibus domini libere ac sine impedimento fideliter et veraciter debet predicari et annunciari &c. Udalrici* Propositio habetur *Mansii Supplem. Concill.* T. IV. *col.* 483. Replica ad illam *Henrici Kalteisen* O. P. triduana *Concill. Labb.* edit. *Venet.* T. XVII. *col.* 1079. *Udalrici* Replica ad hanc Replicam T. *cit. Mansii col.* 643. Notavit *Mansius* ad hujus calcem, *Henricum* denuo replicuisse, sed nomine *primae* Replicae deceptum fuisse puto. Nostram Dissertationem non *Basileae* in Concilio, sed *Viennae* post a. 1433. elaboratam censeo.

DCCCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 344. 4. a diversis currente calamo conscriptus et olim a *Jodoco Weyler de Heilbrunna* T. D. et S. *Stephani* Canonico, a. 1457. extincto legatus *ad librariam Domus collegij ducalis Wienne apud fratres predicatores*, membraneo hoc praemunitur coaevo Titulo: *Prima pars sermonum super euangelijs et epistolis domini thome quondam plebani in castro.* Aulam *Viennensem* vulgo *die Burg* puta. Praeit Sermonum Index, qui intra annos 1428—39. habiti sunt in *Castro* U 195.